



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

XV. In Effigiem Cels. Princ. Ferdinandi Episcopi Paderbornensis, &c. Ab ill.
ejus fratre Theodoro Caspare affabre depictam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

XIV.

DE VICTORIA CASSELLIANA

*Quam serenissimus dux Aurelianensis de Batavis die
palmarum reportavit.*

GALLICA collatis invaserat agmina signis
Nassovius, regum semideumque nepos.
Et pugnâ cupidus Trajectum abolere secundâ,
Terque sibi objectæ probra pudenda fugæ;
Ibat in adversos jam confidentior enses:
Visusque est Batava vincere posse manu.
Relligio sedenim felicibus obstitit ausis:
Ni foret hanc timidus spernere, victor erat.
Esse diem meminit, quâ Christi Roma triumphos
Concelebrans, palmas festaque ferta gerit.
Mene etiam sacris, inquit, miscebo profanis?
Est, veritos ritus vel simulare, nefas.
Præque optans vinci, quam crimine vincere, palmam
Dux pius oblatam respuit, atque fugit.

XV.

IN EFFIGIEM CELS. PRINC.

FERDINANDI EPISCOPI PADERBORNENSIS, &c.

Ab ill. ejus fratre Theodoro Caspare affabre depictam.

CUM cuperent gentes, ad quas tua fama volabat,
Aspectuque tuo colloquioque frui:
Fratris opem, Fernande, tulit labor; & tua cerni
Ora dedit carâ picta tabella manu.

Ora dedit cerni, sed muta & egentia vocis:
 Quamvis muta putes pictaque posse loqui.
 Implesti calamo populorum vota: loquentem
 Suspiciunt, queis jam conspiciendus eras.
 Te nunc orbis habet. Fraternal expressit arundo
 Corpus; & ingenium penna diferta tuum.

XVI.

AD ANTONIUM VERJUSIUM S. J.

*Quod nummus, quem cels. princeps Ferdinandus Pader-
 bornensis episcopus nobis muneri miserat,
 non esset ejus impressus effigie.*

DICEBAM: longo tandem post tempore nummus,
 Divini assimilans principis ora, venit.
 Aureus ille mihi rutilo cernetur in auro,
 Materiâ formæ conveniente suæ.
 Jamque tenere manu, jamque oscula ferre videbar:
 Cumque absente loqui sæpe suasit amor.
 Quin & blanditias & dulcia carmina dixi,
 Indulgens studio credulus ipse meo.
 Heu spes deceptas, & inania somnia vatum!
 In proprias fraudes ingeniosus eram.
 Nummus adest; nec cara mihi fert principis ora.
 Verjusi, hunc pondus credis habere suum?
 Et nunc vota pudor premit improba. Sed, puto, sentis
 Quod suffusa negat charta rubore loqui.